



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

1. De utilitate exercitiorum spiritualium. Thema. Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem & loquar ad cor ejus. Oseæ 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

strenuſque operarios, licet regula
pœnitentias certas non præſcribat;
minimè tamen eas neglexiſſe, aut eti-
amnum negligere. Nos interim ex par-
te noſtra, partim mirabimur tantum
illorum fervorem, qui indiſcretus dici
non debet, cum eos obedientia duxe-
rit: præterquam quòd is, qui perpen-
dit, quanta inconsideratè egerit con-
tra Deum, non conſideret aliquando,
quid agat contra ſe: partim illos imi-
rabimur pro modulo noſtro; ad quod
allegatæ rationes nos valebunt impel-
lere; duo tamen extrema devitantes;

unum ne nimio rigore, & indiſcrete,
contra aut præter obedientiam exor-
bitemus, alterum, ne amore proprio
excoecati, in teneritudinem nimis de-
licatam declinemus, imaginemque
nobis dum vegeti ac ſani ſumus, nos
exiguas, & ſolitas corporis afflicti-
ones ferre non poſſe; ſed contra om-
nem panicum horrorem, animum ob-
firmemus, & quantum obedientia, &
Superiorum conſenſus ſinit, liben-
ter earnem edomemus, ut uti-
litates prædictas re-
feramus.



REGULA V. SUMMARI
DE CONFESIONE.

EXHORTATIO I.
IN REGULAM V. SUMMARI.

Profert commoda & encomia exercitiorum ſpiritualium
S. IGNATII.

THEMA.

*Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem & loquar ad
cor ejus. Oſea. 2. 14.*
VEL EX REGULA.



Uemadmodum Deus
olim Synagoram
Hebræorum in tri-
plicem duxit ſolitu-
dinem, ita videret
nos pariter in tripli-
cem ſolitudinem inducere, nam 1. eam

in Aegypto turbis & idolis commiſtam
eduxit in ſolitudinem ac defertum Si-
nai, ut ibidem legem ac religionem
obtineret, atque ita à Deo in Sponſam
id eſt in Dei Eccleſiam ac Rem publi-
cam aſſumeretur, 2. Rurſus idem deus
eamdem Synagoram Iſraëliticam è
captivi-

captivitate Babylonica, è turba Assyriorum, Medorum, & Persarum, Chaldaeorum ac Parthorum, (inter quos captiva & dispersa vagabatur) eduxit in solitudinem, quâ itur in Idumæam & Jerusalem; ut per illam in patriam sedem & religionem, quasi in solitudinem reduceretur; 3. Deus per Christum Dominum eundem populum è captivitate diaboli redemit, liberavit, & in veram novæ legis Ecclesiam, tanquam in solitudinem induxit: in hac enim Sancta Ecclesia unitas & solitudo fidei & religionis reperitur, sicut è contra apud Idololatrias, & Hereticos multitudo ac confusio, uti Deorum ita & errorum cernitur.

Charissimi, quod olim Deus præstitit Israëlitis; id hodie dum præstat animabus nonnullis ab æterno electis & prædestinatis, atque etiam, ut confidimus, nobis. Nam 1. eduxit nos è gentilitate in solitudinem veræ Ecclesiæ per Baptismum. 2. Eduxit nos ex Ægypto mundi hujus & ex Babylonica captivitate Diaboli in solitudinem religiosam velut in Jerusalem, ut ipsi serviremus; & 3. in religione à colloquiis & turbis nos secernit, ut soli in silentio & quiete, animæ nostræ salutem vacemus, meditationibus rerum Divinarum insistant, peccata expiemus, meliora proponamus, atque ita vererem hominem exuentes novum omnino induamus.

Quomodo autem hoc Deus efficiat, & quid à nobis vicissim in

hac solitudine præstandum requirat, in præsentiarum exponemus.

I. *Eccè ego lactabo eam. L. c. v. 14.* Lactatio.
Deus ut populum Israëliticum ad suum cultum & amorem perduceret, eum manna, colore & sapore lacti non abssimili, in deserto pavit & lactavit, atque ita eum ad se allexit; unde etiam lactare, idem significat, quod allicere, & veluti lacte inescare; sic Proverb. 1. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquisceas eis.* Hæc ratione quoque Christus Dominus lactat & inescat mentes mortalium, & ad sui sequelam allicit. Ita lactavit Magdalenam; ut opes, delicias, veneres, & quidquid in mundo erat, fastidiret, ut famam & judicia Phariseorum contemneret; qui eam, dum in publico convivio Christi pedes lacrymis lavaret, capillisque tergeret, velut decepram ac insanam despiciebant.

Ita Deus lactavit primos Christianos & Martyres, ut dulcedine Divinæ consolationis & amore Christi pro eis crucifixi illecti, imò ebrui procurrerent ad martyria, ambirent ignes, bestias, cruces, ac in ipsis carastis, craticulis & ignibus exultarent, Tyrannisque & tormentibus insultarent, ut videre est in vita SS. Martyrum Ignatii, Laurentii, Vincentii, Agathæ & aliorum. Sic Deus lactavit S. Antonium, Hilarionem, Franciscum, Dominicum, Benedictum; totque nobiles & divites, qui spretis sæculi oblectamentis, reli-

religiosam & austeram poenitentia vitam amplexi sunt, & indes amplectuntur, quos mundani deceptos, imò fatuos aestimant atque explodunt.

An non & vos, Charissimi, lactavit Dominus? an non vos allexit, vocavit, attraxit; dicens *Sequere me? & Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, qua habes, & da pauperibus, & veni sequere me?* Matth. 19. Si non allexit, cur Patrem & matrem, fratres & sorores deseruistis, & in hanc domum confugistis? nullus profectò mortalium ad id vos inducere potuisset; pueris aliquid nullo negotio persuaderetur, sed aetatem 18. 19. vel 20. annorum adeptis, quis hæc persuadeat?

An non vos lactavit spe pramii celestis: *Et habebis thesaurum in celo? L. c. Et qui reliquerit domum, & Patrem & matrem &c. centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit.* Matth. 19. Marci 10.

Verè igitur vos lactavit, & ad hanc tyrocini domum suaviter & efficaciter pertraxit, sanòsque & incolumes perduxit, præ tot millibus in saculo relictis, qui vobis longè digniores erant. Quod profectò beneficium tantum est, ut nec totà virà, nec aeternitate totà, condignas valeatis referre grates; adeòque summè est aestimandum: magnum fuit beneficium creationis, quo acceptis esse & vitam naturalem; at an non majus est beneficium vocationis, quo accipitis esse & vitam spiritualem?

magnum exitit beneficium redemptionis, quo è captivitate Diaboli estis erepti: at estne minus beneficium vocationis, quo è captivitate mundi estis liberati? quid enim emolumenti vobis creatio & redemptio attulisset, si in saculo diluivo aeternum periissetis? Primum igitur hoc & maximum est beneficium, cui accedit secundum, exercitia scilicet spiritualia; quod, si multis ex Infidelibus & Hæreticis contingeret, forsàn in viros Sanctos evaderent.

II. *Et ducam eam in solitudinem.* Per hanc solitudinem intelligimus locum à strepitu, turbà, & tumultu hominum separatum (qui est cubiculum cujusque. Quale olim habebat Judith c. 2. in superiore parte domus, in quo cum puellis suis morabatur, præcèsq; fundebat.) Hic locus aptissimus est ad meditando, orando, conscientiam examinandum, Dei inspirationes audiendum, exercitiisque spiritualibus vacandum, quæ ante negotia magni momenti auspicianda, frequentari assolent. Hujus solitudinis præbuit nobis exemplum Salvator noster: is enim cum opus redemptionis & prædicationis suæ, maximi sanè momenti, esset auspiciaturus, à Spiritu Sancto ductus est in desertum; ibidemque quadraginta dierum oratione, meditatione, & jejuniò, ad illud sese quàm diligentissimè comparavit. Matth. 4. Pari modo, dum Apostolis suis octo beatitudines, seu octo axiomata, quibus

omnis Evangelicæ perfectionis summa & apex continetur, propositurus esset; eos in montem, in locum à turbis & tumultu separatim eduxit, in tali enim loco mens est quietior, sibi que præsentior ac collectior, atque ad cœlestia & æterna consideranda aptior.

Exemplum alterum præbent Sancti Patres, qui ad vitæ perfectionem & sanctimoniam aspirantes, in solitudine se aliquamdiu abdebant: ita fecit S. Basilus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus & alii solitudinis perquam amantes: Ex his S. Hieronymus poenitentiam acturus, & vitam sanctam auspiciurus in solitudinem Syriæ abiit, atque ibidem ad illum invitavit Heliodorum, epistolamque suam hoc claudit celestimate: *O desertum Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas Regis magni exstruitur! O cretus familiaris Deo gaudens! Quid agis Frater in saculo, qui major es mundo? quamdiu te scelerum umbra premunt? quamdiu famosarum urbiū carcer includit?*

Exemplum tertium habemus in invictissimo Casare Carolo V. Volvebat is animo maximi momenti negotium, ut scilicet ad instantem mortem, vitamque beatam se disponeret, quod ut commodius faceret, in locum solitarium in Hispania se recepit, ubi liber à turbis, curis & tumultu, sibi & Deo soli vacavit. Quocirca Franciscus Borgia olim sub

eo Dux Gandiæ, in ejus funere rogatus, ut oratione funebri ei parentaret: hoc Thema proposuit, Caroloque adaptavit: *Elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Ostendens quam piè & sapienter egisset, qui prius mundum reliquisset, quam mundus ipsum, quod propediem futurum erat. Novum hoc fuit, totique mundo inauditum tanti viri exemplum. *Major fuit Carolus in sua eremo, quam in Imperio, quia major mundo, æque ac seipso.* Ita noster Sacchinius tomo 2. Annalium Societatis JESU ad annum Domini 1558.

Exemplum quartum habemus in S. P. nostro Ignatio & primis Sociis ejus: qui exercitia & meditationes, quæ Deo revelante & B. Virgine docente hausit, primus Manresæ in spelunca, juxta mare obiit, ac per ea veterem hominem exuit, novumque induit, ac è milite mundi, in Christi militem transformatus fuit. His quoque exercitiis S. Franciscum Xaverium & alios è primis Patribus à sæculi vanitate abstraxit, & in viros spirituales atque apostolicos mutavit; quod non solum primis Patribus, verum etiam innumeris aliis in Societate evenit.

Ecce Charissimi, hoc tantum beneficium ex Dei gratia speciali contigit quoque vobis: habetis maximi momenti negotium præ manibus, scilicet vitam novam, vitam religiosam, vitam Angelicam. Hinc solitudinem ingressi estis; si verò fructum hujus solitudinis & exercitiorum magnum reportare desideretis, diligentiam magnam

ea

ea obire necesse est: non sufficit esse in solitudine corpore, nisi etiam sitis corde & mente: non satis est, secessus simulatus & affectatus, nisi adsit secessus sincerus, in quo quis sinat se duci & regi à Spiritu S. à regula & à Superioribus. Nam ut ait Richardus de S. Victore in Psalm. 28. duplex est desertum & solitudo, una in Idumæa, altera in Cades: *Idumæa* ait significat: *desolatio sanctitatis*. *Cades* verò *desolatio terrena cupiditatis*; in illo *desolatio sanctitas*, regnat *terrena cupiditas*, in isto *absit concupiscentia*, permanet *sanctimonia*. Si quis vestrum non sincero corde se totum tradat exercitiis, nec servanda accuratè servet, sed tantum pro forma, ut dici solet, tantum corpore non mente adsit, evagetur ad exteriora, effundat se per garrulitatem, oculorum curiositatem, aliisque sensualitates. *Idumæa est desolatio sanctitatis*, parum perfectionis acquirat. Quod si verò seipsum bene custodiat, linguam frænct, totumque se exercitiis impendat omni diligentia; erit in Cades, *Desolatio terrena cupiditatis*. Mox dirringet peccatorum laqueos, adnascentur alæ, quibus ad superna evolet, qui plenus erat defectibus, speculum evadet religiosæ observantia, & qui velut truncus jacebat in luto passionum, mutabitur in cedrum Libani, quæ non solum seipsam servet à putredine peccati, sed suam quoque fragrantiam Sathanam in fugam convertat.

III. *Et loquar ad cor ejus* Dum quis Allocutio. seder quiete in sacra hac solitudine, & exercitiis spiritualibus vacat, Deus

loquitur ad cor ejus. q. d. r. Loquar non exterius ad aures, sed interius ad cor, mentem & voluntatem, & ingeram ei suæ ingratitude, peccatorumque pudorem, terrorem, odium, quod Deum summum bonum dereliquerit, & creaturis turpiter adhaerit. 2. *Loquar ad cor ejus* & excitabo spem veniæ, & desiderium melioris vitæ, ut anima penitens ad Deum ac Dominum suum, quem deseruerat, redeat. 3. *Loquar ad cor ejus*, validum illud rationibus & efficacibus argumentis convincam ac permovebo, atque ita ad me meique amorem & cultum convertam. Sicut Ezechiel c. 36. 26. ait: *Dabo vobis cor novum & spiritum novum*, pro corde terreno celeste, pro animali spirituale, pro impuro, purum ac mundum, emundatum ab omnibus peccatorum inquinamentis; pro vacuo, gratia & charitate aliisque Spiritus S. donis referentem. 4. *Loquar ad cor ejus*, id est ad affectum & gustum ejus: q. d. alloquar blandis & plenis consolatione verbis, deliciisque Spiritus, ac devotionis suavitate reficiam. Quasi sponsus sponsam ad me revertentem excipiam, ejusque cor mulcebo, lactabo, & ad me rapiam. 5. *Loquar ad cor ejus*, dum jam anima se mihi totam offert, ponat & consecrat, mihi jegerit inharere, & mecum colloqui desiderat; presentem me illi sitam quasi sponsus & amicus loquar, erudiam & consolabor. *Quo presente*, ait Richardus de S. Victore in c. 3. Cant. 4. *Innovatur anima, & quasi ei adherens sentit interni gustus dulcedinem*, *intell.*

Intelligentiam spirituales, fidei illuminationem, spes augmentum, charitatis incrementum, compassionis affectum, iustitia zelum, delectationem virtutum. Cum Deo loquens & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus. 5. S. Bernardus serm. 57. & 58. in Caut. Ubi explicat. En dilectus meus loquitur mihi, surge prope amica mea, ait Deum in anima devota loqui humilitatem, patientiam, fraternam charitatem, obedientiam, pacem, mortificationem vitiorum, compunctionem, omnemque sanctimoniam.

Oigitur recte exclamat Cornelius Milius illustris nostri xvi Delfis in Hollandia Martyr. *O beata solitudo! O sala beatitudo piis secessuiculis! quam beati, Candidati, qui ad te volat alari, porro à mundiculis!*

Quapropter Charissimi, si has locutiones Dei ad cor experiri volumus; **I.** Libenti & alacri animo hanc sacram solitudinem aggrediamur: nam ut ait Philo Judæus lib. de Abraham. *Vir probus vite quietæ amator, secessum & solitudinem diligit;* instar

Enoch, qui recessit ab omnibus. **2.** Liberali animo ad eam accedamus, ut exigit S. P. N. offerentes nos Deo ad omnia & nos totos ei devotentes. **3.** Animo probè custodito & obserato exactissimè linguam, oculos, aliisque sensus custodiamus, simulque tanquam hortus conclusus & fons signatus, in quo recreationem suam celestis sponfus habeat. Hac ratione evadet exercitiorum solitudo schola virtutum, ut ait S. Basilus in tractatu de laudibus eremi; *Solitaria vita, celestis doctrina est schola, ac Divinarum artium disciplina, illic Deus est, totum, quod dicitur: Via quæ tenditur, totum, per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur: Caminus Chaldaicus in quo ferventis incendii vires, orationibus extinguuntur; fornax, ubi supremi Regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo poenitentia percussa ac limâ salutifera correctionis erasa, perveniunt.*



Y

EXHOR-